

dies, appellatur sacrificium dierum. Si sic dixerit, bene, pax erit seruo tuo: si autem irascendo fuerit iratus, scito quod completa est malitia eius. Fac ergo misericordiam cum seruo tuo, quia in fœdus domini fecisti venire seruum tuum tecum: & si est in me iniquitas, interfice me tu, & usque ad patrem tuum ne introducas me.

Et ait Iehonathan, absit hoc à me. Iuxta Hebræum habetur, absit à te, videlicet vt incidas in manus patris mei, neque enim fieri potest, vt si cerè cognouero completam esse patris mei maliciam contra te, non annunciem tibi. Dixitq; Dauid ad Iehonathan: quis renunciabit mihi, si quid responderit pater tuus durus? Et ait Iehonathan ad Dauid, veni & egrediamur in agrum. Aliqua insinuat commoditas colloquendi in agro, quæ non erat in loco vbi erant. Et egressi sunt ambo in agrum.

Dixitq; Iehonathan ad Dauid: domine deus Israel. Legendum est, dominus deus Israel. sunt enim iurantis verba. Quemadmodum enim iurabatur, viuit dominus, ita iste iurat Iehouah, Elohe Israelis. subauditur enim verbum substantiuum: & quæ admodum Iehouah Elohe Israelis est, ita innouatur testis subiectorum, si inuestigauero sententiam patris mei, crastino vel perendie. Non redditur sensus hebraici sermonis nobis minus clari, sicut tempus cras tertia, hoc est crastini vel tertij diei: quod dixit interpret cras, vel perendie. & ecce bonum ad Dauid, & non tunc misero ad te, & notum tibi fecero: hæc faciat Deus Iehonathan, & hæc auget. Corrupta est litera: legendum esset, sic faciet Iehouah Iehonathan, & sic addet. Modus iurandi est per execrationem: adiungitur enim hic alter iurandi modus priori. Si autem perseverauerit patris mei malicia contra te, reuelabo aurem tuam, & dimittam te vt vadas in pace: & sit dominus tecum. Iuxta hebr. habetur, & erit Iehouah tecum, sicut fuit cum patre meo. Prædicentis regnum verba sunt, quod deus faciet te regem, quemadmodum fecit patrem meum, per electionem à populo. Et si vixero, facies mihi misericordiam domini, & non moriar. Si verò mortuus fuero, non auferes misericordiam tuam à domo mea in sempiternum: aut si non fecero quando eradicauerit dominus inimicos David vnunquemque de terra, auferat Dauid Iehonathan de domo sua. Scito quod in litera hebraica valde obscure scribuntur hæc & subiuncta: sed quoniam sensus in idem redit cum iis quæ vulgata habet editio, non immorandum puto. Verba tamen illa, aut si non fecero, non habentur in hebræo.

bræo. & similiter verba illa auferat Dauid Ionathan de domo sua, non habentur in hebræo. Et propterea sententia hæc mutata est: & legendum esset, & nec faciente abscindere Iehouah inimicos David, vnunquemque è superficie terræ. nihil enim aliud, in hebræo habetur. Et est sensus quod nec etiam quando deus abscondet inimicos David, tollet Dauid gratiam suam à domo mea. explicat enim quod licet iusto dei iudicio exercenda occurreret vindicta contra domum Saulis inimicam Dauidi, non tamen propterea Dauid tollet gratiam suam à domo mea. Deinde immediate sequitur. Et pepigit fœdus Iehonathan cum domo David, proculdubio super prædictis. Et significanter dicitur cum domo Davidis, vt intelligamus Dauidem pro se, & sua domo pepigisse fœdus cum Ionatha & domo eius. Deinde immediate sequitur. & requirit Iehouah de manu inimicorum Davidis. Vnde patet vulgatam editionem bis hanc clausulam habere, & finisse nescio quæ. Verum obscura est intentio huius clausulæ: crediderim tamen ego hic sicut, & alibi apud Hebræos transpositam esse hanc clausulam, & esse partem verborum Ionathæ. Ita quod ordo literæ sit, & requirit dominus de manu inimicorum David: & nec faciente abscindere domino inimicos Davidis, vnunquemque è superficie terræ. Et sic planus esset contextus.

At si vt iacet in loco, in quo posita est clausula, hæc intelligitur, sensus est, & quæret Iehouah ultionem aduersus Dauidem: quia per inimicos Davidis intelligitur ipse Dauid: vt patet ex simili in ca. 25. Mos enim erat nominare inimicos, & significare ipsum principem in huiusmodi execrationibus: ne malum sonaret omen imprecatio malorum sub proprio nomine principis, cui imprecabatur malum, si non adimpleretur dictum, & sic similiter sunt hæc verba Ionathæ, honorabiliter imprecantis mala Dauidi, si non adimplet fœdus. Et hic sensus quadrat manifestè modo loquendi inferius in ca. 25. Et addidit Iehonathan de iurare, hoc est valde iurare, super ea quæ dixerat amoris sui erga Dauidem, eo quod diligeret eum: sicut enim animam suam, ita diligebat eum.

Dixitq; ad eum Iehonathan: cras sunt calendæ, & requireris. Requiritur enim sessio tua. Et usque perendie, iuxta Hebr. habetur verbum significans, si dici licet, tertiare, ita quod legendum esset, Et tertiabis te, hoc est in tertium usque diem te teruabis, descendes festinus, iuxta Hebr. habetur, descendes valde, hoc

hoc est non parum sed in locum valde imum descendens. an-
trum enim profundum insinuatur ibi. & venies in locum vbi
eclandus es in die quando operari licet. Iuxta Hebræum habetur.
& venies ad locum in quo fuisti absconditus ibi in die operis. Co-
memoratur idem locus in quo aliàs fuerat absconditus Da-
uid, iuxta ea quæ scripta sunt in ca. 9. Et dicitur in die ope-
ris, hoc est in die quo ego operatus sum apud patrem meum
vt non occideret te: vt in prædicto patet capitulo. & sedebis
iuxta lapidem cui nomen est Exel. Iuxta Hebræum habetur. via-
torium. mandat enim vt in loco imo vbi aliàs latuerat, quiescas
prope lapidem viatorium: qui scilicet monstrat viam iter a-
gentibus. Et ego tres sagittas iaciam ad latus eius: iaciam quasi ex-
ercens me ad signum. Et ecce mittam pueram dicens ei, vade inueni
sagittas si dicens. lo dixerò puero, ecce sagittæ à te & infra sunt, cape
eum & veni, quia pax est tibi & nihil est mali vniuit dominus. Si
vero sic dixerò puero, ecce sagittæ à te & ultra sunt, vade quia mi-
sit te dominus. Nesciens Ionathas si in tali euentu commoditas
dabitur alloquendi Dauidem, dicit quòd hoc signo audito
non expectet eum amplius sed vadat. Verbum autè quod locu-
ti sumus ego & tu, ecce dominus inter me & inter te vsq; in seculum.

Absconditus est ergo Dauid in agro: & fuerunt calendæ & se-
dit rex ad comedendum panem. Seditq; rex super cathedram
suam, sicut consueuerat super cathedram iuxta parietem: & surre-
xit Ionathas, & sedit Abner ex latere Saul, vacuusque apparuit
locus Dauid. Nescio diuinare ad quid surrexerit Ionathas: sed
hoc est certum, qd sedit ad comedendum. nisi enim sedisset,
nequaquam scriberetur & surrexit Ionathas. Et quia non di-
citur quemadmodum inferius surrexit Ionathas & non co-
medit, insinuatur quòd sedit & comedit, & surrexit. Et quo-
niã subiungitur & sedit Abner ad latus Saulis, insinuatur quòd
Ionathas surrexit, hoc est non perseverauit vsque ad finem
conuiuii: & inde secutum est quòd Abner remansit sedens
ad latus Saulis: hoc est nullo sedente medio inter Saulem &
Abner. surrexerat enim Ionathas medius, nec loca mutaban-
tur: vt testatur locus Dauidis apparens vacuus. hoc enim est
signum quòd vnicuique eorum etiam absenti seruabatur lo-
cus proprius. Et non est locutus Saul quicquam in die illa cogita-
bat enim quod casu euenisset ei vt non esset mundus nec purificatus.
De immundicia & purificatione legali est sermo.

Et fuit in crastino calendarum secundo, rursus vacuus apparuit
locus

locus Dauid: dixitq; Saul ad Ionathan filium suum, cur non ve-
nit filius Isai nec heri nec hodie ad vescendum? Occurrit questio
tam de Saule quàm de Dauid. mirum siquidem est & quòd
Dauid postquam fugerat per fenestram & postea fugerat de
Na'ioht, inquirere voluerit per Ionathan si Saul quærebat
ipsum occidere, & similiter mirum est quòd Saul post hæc fa-
cta contra Dauidem quæserit cur non venit filius Isai ad
mensam?

Solutio est quòd quemadmodum quod vellent miseri fa-
cile credunt, ita magnates miseriam sibi imminente eo quòd
multum abhorreant, quanuis credant certiores fieri procu-
rant antequam manifestum eligant exilium. De Saule autè
facile credi potest quòd excæcabat eum iniquitas eius, vt nõ
aduerteret gesta sua peruénisse ad notitiam Dauidis. præce-
dentia enim (videlicet quòd in die calendarum Saul putauit
Dauidem impeditum aliqua legali immundicia) & sequen-
tia (videlicet furor in Ionathan) testantur quòd nõ fide Saul
quæserit cur nõ venit Dauid ad mensam? Et respondit Ionathas
Saul: rogauit me obnixè vt iret vsque in Beth'lech. Et ait, dimi-
te me obsecro quoniam sacrificium familia est nobis in ciuitate, &
vnu de fratribus meis accersuit me, nunc ergo si inueni gratiam in
oculibus valem citò & videbo fratres meos: ob hanc causam non
venit ad mensam regis.

Iratusq; est furor Saulis in Ionathas, & dixit ei: fili mulieris vltro
virum rapientis. Iuxta Hebræum habetur. fili tortificantis rebel-
lis. Matrem appellat facientem tortum, quòd distinguitur cõ-
tra rectum. Ignominiosè nominatur mater Ionathas rebellis
marito, adultetij probro: vt Ionathan tanquam ex matre cõ-
trahentem crimen rebellionis ad patrem, filiumque suum
adulterinum non germanum significet: vt potè non imitan-
tem patrem sed matrem, dum Dauidi fauet contra regnum
in propria domo ex paterna successione. an non noui quòd di-
ligis filium Isai. Iuxta Hebræum habetur. quòd eligens tu filium
Isai in cõfusionem tuam & in cõfusionem ignominie matris tue.
hoc est quòd ex electione præponis filium Isai in cõfusio-
nem tuam ad successorem in regnum, & iterum intorquet
in genus ex matre animi Ionathas. Omnibus enim diebus quib'
filius Isai vixerit super terrã, non stabilieris tu, neque regnum tuum.
Manifestat rationem venenosi animi aduersus Dauidem.
nunc igitur mitte, & adduc eum ad me, quia, filius mortis est. He-
bræo

bræo more dignus morte appellatur filius mortis. Causa autem iam manifestata erat, quia in impedimento erat stabili successioni regni. Et certè Saul verum iudicium habuit: ut rei probauit euentus. Respondit autem Iehonathan ad Saulem patrem suum & dixit ei: cur morietur: quid fecit? Et arripuit. Iuxta Hebræum habetur. Et iaculatus est Saul lanceam contra eum ut percuteret eum. In tantum exarsit furor, ut etiam filium perire attentaerit. Intellexit Iehonathan quod diffinitum esse à patre suo ut interficeretur Dauid. Surrexitq; Iehonathan è mensa in ira furoris, & non comedit in die calendarum secunda panem: contristatus est enim super Dauid, quia confudit eum pater eius.

Ubiq; illuxisset mane egressus est Iehonathan in agrum iuxta placitum Dauid, & puer paruus cum eo. Hinc apparet quòd tertia dies decreta inter Dauidem & Ionathã erat tertia à die calendarum. Et dixit ad puerum suum, curre inueni quoas sagittas quas iacio: cucurritque puer & iecit sagittas trans illum. Venitque puer ad locum sagittæ quam iecerat Iehonathan, & clamauit Iehonathan post puerum & dixit, sagitta ultra te est. Clamauitq; iterum Iehonathan post puerum, accelera, festina, ne steteris: & collegit puer Iehonathan sagittas, & venit ad dominum suum. & puer non intellexit quicquam: tantum Iehonathan & Dauid noverant rem.

Deditq; Iehonathan arma sua puero qui erat ei: & dixit ei, vade, defer in ciuitatem. Cũque abisset puer, surrexit Dauid de loco qui vergebat ad austrum, & cecidit in faciem suam in terrã, & ter adorauit: & osculati sunt se inuicem & luxerunt se inuicem, donec Dauid magnificatus est. Dixitq; Iehonathã ad Dauid, vade in pace: quod iurauimus ambo nos in nomine domini dicendo, dominus sit inter me & te, & inter semen meum & sementium usque in seculum. Ex hac litera manifestum est fœdus vtrinque firmatum non solum pro seipsis, sed etiam pro vtriusque semine, non ad tempus sed in perpetuum. Et surrexit Dauid & abiit: & Iehonathan ingressus est ciuitatem.

CAPVT XXI.

Enit autem Dauid in Nobã ad Achimelech sacerdotem, & obstupuit. Iuxta Hebræum habetur. & tremuit Achimelech. nõ corpore sed animo. eo quòd venisset Dauid. Iuxta Hebræum habetur. ad occursum Dauidis. occurrente siquidem Dauide ex improviso absque solita societate, prælagus mali animus tremuit. quare in solus, & nullus est tecum?

cum: Iuxta Hebræum habetur. & vir non tecum? Et est sensus, & multitudo virorum (hoc est militum) non est tecum. Hunc enim esse sensum, testatur dominus Math. 11. clarè dicens aliquos fuisse cum Dauide. Et ait Dauid ad Achimelech sacerdotem: rex præcepit mihi verbum & dixit, nemo sciat rem propter quam mitto te, & quæ præcepi tibi. Mendaciũ officiosum dixit. pueris autem meis condixi in illum & illum locum. Iuxta Hebræum habetur. ad hunc occultum & mutum. Finxit Dauid quòd milites disposuerit in loco non solum occulto aliis, sed etiam tacito ad similitudinem muti, tanquam ad insidias. Nunc igitur quod est in manu tua, quinque panes trade mihi: vel quicquid inueneris. Responditq; sacerdos ad Dauid, & ait ei non habeo panem profanum ad manum sed panem sanctum, si mundi sunt pueri maxime à mulieribus, manducent. Iuxta Hebræum habetur. si fuerit custoditi pueri tantum à muliere. Non interrogat de ipso Dauide explicitè sed de iis qui cum eo erant, honoris gratia: ut tamen intelligat Dauid, idem requiri ab eo. Vnde Dauid respondet de seipso & aliis.

Et respondit Dauid sacerdoti, & dixit ei: si de mulieribus agitur continuis ab heri & nudius tertius, quando egrediebar & fuerunt vasa puerorum sancta. Hebræo more vasis nomen generale est: & hęc significat corpora vel generationis organa fuisse munda. Porro via hæc polluta est, sed & ipsa hodie sanctificabitur in vasis. Iuxta Hebræum habetur. & ipse via profana, & etiam quòd hodie sanctificabitur in vase. Masculini generis est pronomen ipse: & demonstrat panem sanctum, de quo erat sermo. Et est sensus quòd ipse panis quauis sanctus, etiam si hodie sanctificandus perseveraret in vase, hoc est in mensa propositionis, declinat in viam profanam urgente necessitate. Ita quòd dicit, quòd nõ solum isti panes, qui iam fuerant sublati à facie domini & ad usum sacerdotũ addicti, sed etiam illi panes qui sunt adhuc coram domino super mensam propositionis, qui adhuc non sunt addicti ad usum sacerdotum, diuertendi essent in laicum usum propter hanc urgentem necessitatem. propter quod ut subditur sacerdos dedit ei panem sanctum. Deditq; ei sacerdos panem sanctum: non enim erat tibi panis, nisi panis propositionis. Iuxta Hebræum habetur. panis facierum. Appellatur panis ille panis facierum, quia erat panis iugiter manens oblatas faciibus Dei. caret enim singulari numero facies apud Hebræos. Et quia singulis sabbatis renouabatur, nõq; de-
erant

erant faciei diuinæ præsentés, qui sublati fuerat à facie domini. Ne verteretur in dubiū de quo pane sancto est sermo, manifestatur clare quod de panibus propositionis non adhuc perseverantibus in mensa propositionis sed amotis est sermo. *ut poneretur panis calidus. Deficit in die quo sublati ipse.* Declaratur quod eodem die quo sublati fuerat panis qui datus est Dauidi, appositus est panis calidus iuxta legis mandatum. Ex eo autem quod in ciuitate Nobæ erat mensa propositionis, insinuat translatum fuisse tabernaculum Moysi de Silo in ciuitatem Nobæ: & nescitur quando.

Erat autem ibi vir de seruis Saul in die illa intus in tabernaculo domini. Iuxta Hebræum habetur, *retentus in facie Ichonab, & nomen eius Doeg adomeus.* An voto an occasione sacrificij aut purificationis alicui⁹ protraheretur mora Doeg coram deo nescitur, *potentissim⁹ pastorū Saul.* Iuxta Hebræū habetur potius maximus quā potentissimus. An autem sit hic sermo de pastoribus animalium brutorum an de pastoribus populi, quantum in litra non explicetur, rationi tamen consentaneū est quod de pastoribus populi sit sermo: eo quod iste primus inter seruos Saulis inferius describitur, & dicitur maximus pastorum Saulis, ad differentiam Abner qui erat princeps exercitus. Hic pascebat mulas Saul. Non habetur hæc clausula in Hebræo.

Dixitque Dauid ad Achimelech: *si habes hic ad manum lanceam vel gladium da mihi, quia gladium meum & arma mea non tuli mecum: sermo enim regis urgebat.* Et dixit sacerdos: *gladius Gol' iath Pelisthei quem percussisti in valle Terebinthi, iuxta Hebræū habetur. Ela, nomen est arboris, ecce est in uoluitus panno post Ephod.* Hinc clarè habes gladium Gol' iath oblatum fuisse deo in memoriam tantæ victoriæ, & necessitate cogente accepit eū Dauid, *si istum vis tollere, tolle, quia non est alius hic præter ipsum: dixitque Dauid, non est similis illi, da eum mihi.*

Et surrexit Dauid & fugit in die illa à facie Saulis: & venit ad Achis regem Gath, proculdubio alendus stipendiis eius. Dixeruntque serui Achis ad eum, *nomen iste est Dauid rex terræ: nomen huic cantabant in choris dicendo, percussit Saul in millibus suis, & Dauid in myriadibus suis.* Quo sensu appellauerint Dauidem regem terræ, explicatur per subiunctum testimoniū triumphi, est enim sensus quod Dauid erat tanquam rex terræ, ut cætus in triumpho habitus testatur. *Posuit autem Dauid verba hæc*

*hæc in corde suo: & timuit valde à facie Achis regis Gath. Et mutauit os suum coram eis. Iuxta hebræum habetur. Et mutauit ipse saporem suum in oculis eorum. Nomen saporis prudentia significatur, tanquam dictum sit quod mutauit sapere suum in oculis eorum: hoc est in apparenti conspectu illorum, & collabebatur inter manus eorum. Iuxta hebræum habetur. & insaniuit in manu ipsorum gestus insanos exercendo circa eos & impingebat in ostia portæ. Iuxta hebræum habetur. & designauit super ostia portæ. mote enim insani signa formabat in valuis: & fecit descendere saluam suam ad barbam suam. Vniuersa huiusmodi fictio ex timore procedens ea ratione excusatur qua dicitur stultitiam simulare loco prudentia summa est. Et ait Achis ad seruos suos: ecce vidistis virū insanum cur adduxistis eum ad me? An desunt nobis furiosi? Iuxta hebræum habetur. Defeci insani ego. Est et interrogatiue legendum cū sequenti clausula, *quid adduxistis hunc ad insaniendum coram me? dimittite illum hinc.* In hebræo non habetur dimittite illum hinc: sed duntaxat, *num iste veniet ad domum meam? quasi dicit, nequaquam.**

CAP. XXII.

Avis ergo inde Dauid & fugit. Iuxta hebræum habetur. *Et euasit ad speluncam hadullam. proculdubio de periculo mortis apud Achis regē Geth. audieruntque fratres eius & tota domus patris eius & descenderunt ad eum illum.* Hinc colligitur quod Saul affligebat domum patris Dauid, nisi enim afflicti fuissent non reliquissent & domos & agros ad vagandum in speluncis & desertis. Et conuenerunt ad eum omnes qui erant in angustiis constituti & oppressi aere alieno. Iuxta hebræū habetur. *& omnis vir cui mutuator.* Et propterea suboritur quæstio an licuerit Dauidi admittere istos debitores in præiudicium creditorum qui mutuauerant. Solutio est quod isti si habebant domum, agrum aut vineam, intelliguntur cessisse bonis: si autem impotentes penitus erant ad soluendum debita, ipsa impotentiā excusabantur vsque ad pinguiorem fortunam. Quod enim Dauid omnes ad se conuenientes optime instruxerit cum moraretur in eadem spelunca, testatur psalmus, benedicam dominum in omni tempore, cōtinens ad literam doctrinam datā à Davide ibidem militibus, non igitur in præiudiciū creditorū suscepit istos Dauid. *& omnis vir amarus animo, fuitque eis in principē: & fuerunt cum eo circiter quadringenti viri.*

Et profectus est Dauid inde in Mizpe Moab. ad differentiam Mizpe in Iudæa. & dixit ad regem Moab, egredietur queso pater meus & mater mea & maneat vobiscum. Personas inhabiles ad bellum intellige relictas apud Moabitas. donec sciam quid faciat mihi Deus. Nomen est Elohim iudicans & gubernans omnia. Et reliquit. Parui refert quod hebraice habetur. Et duxit eos ante regem Moab. Ordo rei gestæ fuit quod Dauid prius allocutus est regem Moab & obtinuit gratiam: deinde duxit patrem & matrem coram rege. & manserunt cum eo omnibus diebus quibus Dauid fuit in presidio. Iuxta hebræum habetur. in arce. Tam hic quam inferius cum repetitur presidium, insinuat quod ad custodiam alicuius arcis deputatus fuerit Dauid cum suis militibus. Dixitque Ghad propheta ad Dauid. Introduce scriptura prophetam absque genealogia cum Dauide: ut hinc cognoscamus Dauidem comitatum non solum viris oppressis, sed etiam sanctis & propheticis usum consilio. ne maneat in arce. proficiscere & vade. Legendum est. vade & ingredere tibi. hoc est ad bonum tuum. terram Iehuda. Quale autem bonum non scribitur: sed rationi consentaneum est quod ad bonum autoritatis apud Israelitas seruandum ac cumulandum spectauerit, ut enim rei probauit euentus, magno Dauidis in Iudæa fuit multis utilis & plurimum ei autoritatis attulit: quorum neutrum secutum fuisset, si mansisset in terra Moab. Et ex hoc quod propheta dicit, vade tibi, fabellam apparet esse quod inordinate recesserit ex arce, non est enim fas prophetam consulentem bonum consulere inordinatam actionem. Proinde fabella apparet quod rex Moab indignatus occiderit patrem & matrem Dauidis: sed ut paulo ante scripta testantur, recedente Dauide ex arce pater & mater eius non fuerunt amplius apud regem Moab, nec est scriptum explicite an iuerint cum Dauide, an alibi manserint. & profectus est Dauid & venit in saltum Chareth.

ET audiuit Saul quod apparisset Dauid & viri qui erant cum eo: Saul autem cum maneret in Ghibba. Tempus huius historiae post superscriptam reuersionem Dauidis in Iudæam fuisse testatur fuga Abiathar ad Dauidem in Cehilam iuxta ea quae inferius scribuntur. Nec in hebraeo continuatur sic litera: sed post narratum aduentum Dauidis in syluam Harereth & auditum à Saule aduentum eius statim subditur. & Saul sedens in colle sub ela in rama, & lancea eius in manu eius

& omnes

& omnes serui eius stantes iuxta eum. Et vere quadrat ut ad subiuncta verba excitatus fuerit Saul, ex eo quod audierit Dauidem cognitum fuisse in Israel. Dixitque Saul seruis suis stantibus iuxta eum: audite queso filii Iemini. Iam dictum est Benjamin significari nomine Iemini, etiam omnibus vobis dabit filius Iisai agros & vineas omnes vos faciet Tribunos & Censuriones. Quia coniurastis omnes contra me & non qui reuelat aurem meam, sedus inuit filius meus cum filio Iisai & non est qui doleat super me & qui reuelat aurem meam: quia suscitauit filius meus seruum meum contra me insidiantem mihi vsque hodie.

Respondit autem Doeg Adomeus qui erat primus inter seruos Saul. Parui refert quod hebraice habetur. & ipse caput super seruos Saul. hinc enim apparet quod Doeg non fuit pastor animalium, sed pastor curialium Saulis: præerat enim reliquis curialibus. Nam dictio interpretata caput, non significat caput, sed præfectum seu præsidem: circumloquimur enim. & dixit vidi filium Iisai venientem in Nobe ad Achimelech filium Achitub sacerdotem. Et consuluit pro eo Dominum & cibaria dedit ei: gladiumque Ghol' iath Pelisthi dedit ei. Non simplici, sed iniquo animo hæc retulisse testantur subiuncta gesta, interpretatus siquidem quæ viderat à sacerdote fieri bonam in malam partem accusat eum tamquam zelans pro rege. Misitque rex ad vocandum Achimelech filium Achitub sacerdotem & totam domum patris eius sacerdotes qui erant in Nob: & uenerunt omnes ad regem.

ET ait Saul, audi queso fili Achitub: & dixit ecce ego domine mi. Dixitque ad eum Saul: cur coniurastis contra me tu & filius Iisai & dedisti ei panem & gladium & consulisti pro eo Deum, ut consurgeret contra me insidiator vsque in presentem diem? Dictio interpretata Deum est nomen Elohim, apte congruens proposito.

Responditque Achimelech regi & ait: & quis in omnibus seruis tuis sicut Dauid fidelis & gener regis & perges ad imperium tuum, & gloriosus? Iuxta hebræum habetur. & honoratus in domo tua? Hæc omnia commemorat ad narrandum quod arbitrans obsequium se præstare regi, fecerat quæ fecit. An hodie capi consilium pro eo Deum? Nomen est Elohim eadem ratione, absit mihi: ne imponat rex seruo suo quippiam in tota domo patris mei, quia non nouit seruus tuus de omnibus his quicquam paruim vel magnum. Dixitque rex: moriedo morieris Achimelech tu & tota domus patris tui. Vide sententiam iniquissimam aduersus etiam omnem domum

§ ij

mum

num patris eius. Dixitque rex emissariis. Hebraice habetur. *cursoribus*. hoc est viris fortibus, agilibus velocisque cursus. tales enim habitos fuisse in precio tunc temporis testatur laus Hazaelis fratris Ioab inferius subiuncta in libro secundo. *qui stabant iuxta eum: conuertimini & interficite sacerdotes Domini, quia etiam manus eorum est cum Dauid & quia cognouerunt quod fugeret & non indicauerunt mihi: & noluerunt serui regis mittere manum suam ad interficiendum sacerdotes Domini.* Timentes deum reuerunt parere tam iniquo mandato: dant exemplum ministris principum ut manifeste iniustis mandatis principum non pareant, quia obedire oportet magis Deo quam hominibus. *Dixit autem rex ad Doeg, conuerte te & interfice sacerdotes: & conuersus est Doeg ad pascua & interfecit sacerdotes.* Significatè scribitur Idumæus qui diuino post habito timore irruit in sacerdotes domini Israelitis reuētibus committere tantum facinus. *& trucidauit in die illa octogintaquinque viros vestitos ephod lineo.* Hebraica dictio non sonat vestitos, sed portatores. quod potest verificari etiam si tunc actualiter non essent vestiti ephod: quoniam sufficit quod isti octogintaquinque viri essent soliti ministrare Deo cum ephod lineo. Et dicitur lineo ad differentiam superhumeralis vestis pontificis. An autem omnes isti essent sacerdotes an inter eos essent aliqui leuitæ qui simul ministrabant in domo domini, non est vsquequaque clarum. *Nob autem ciuitatem sacerdotum percussit in ore gladii à viro vsque ad mulierem, à paruulo vsque ad lactentem: & bouem & asinum & ouem in ore gladii.* Vide crudelitatem plusquam ferinam.

Evasit autem filius vnus Achimelech filii Achitub & nomen eius Eb'iathar: & fugit post Dauid, & nunciavit Eb'iathar Dauidi quod occidisset Saul sacerdotes domini. Dixitque Dauid ad Eb'iathar: sciebā enim in die illa quod cum ibi esset Doeg Idumæus proculdubio annūciaret Sauli. Hebraice habetur, *sciui in die illo quod ibi Doeg Adomæus quod annunciando annunciabit Sauli.* Scire refertur ad præsentiam Doeg Idumæi: & non ad futuram annūciationem, nisi in sua causa videlicet præsentia Doeg. Non enim in tabernaculo dei positus sciuerat Dauid futuram denūciationem: sed sciuerat illius causam videlicet præsentiam Doeg Idumæi. & propterea non dicit se sciuisse futuram annūciationem nisi præmissa præsentia doeg. Et quia scire annūciationem futuram in causa contingente (quæ scilicet potest annūciare

nūciare & potest non annūciare) non est scire simpliciter, sed in causa ad vtrūlibet, ideo notitia quæ proficitur se habuisse Dauid non redūdauit in culpam ipsius dauidis. vt videlicet ipse exposuerit sacerdotem domini tanto periculo, quantum ipse subiugat, ego sum reus omnium animarum patris tui. Iuxta Hebræum habetur. *Ego conuerti in omnem animam domus patris tui.* Et est sensus, ego conuerti gladium Saulis in omnem vitam domus patris tui. Seipsum occasionem præbuisse tantæ cladi fatetur, quod verissimum fuit pro quanto non ex intentione, sed ex facto eius occasio accepta est fauendi in sacerdotes. Mane mecum ne timeas quoniam qui queret animam meam, queret animam tuam quoniam mecum seruaberis.

CAP. XXIII.



Et annūciauerunt Dauidi dicēdo: ecce Pelistheii pugnant contra Cehilam & diripiunt areas: Consuluit igitur Dauid Dominum dicēdo, an vadam & percutiam Pelistheos istos? dixitque Dominus ad Dauid, vade & percuties Pelistheos & saluabis Cehilam. Dixeruntque viri Dauid ad eum: ecce nos hic in Iehuda timemus, quanto magis cum iuerimus in Cehilam ad acies Pelisthinorum? Rursus ergo Dauid consuluit Dominum: & respondit ei Dominus & dixit, surge, descende in Cehilam, quia ego do Pelisthinos in manum tuam. Iuit ergo Dauid & viri eius in Cehilam, & pugnavit cum Pelisthinis & abegit iumenta eorum & percussit eos plaga magna: & saluavit Dauid habitatores Cehila. Ecce vtilitas ex præsentia Dauidis in Iudæa simul cum augmento authoritatis.

Et fuit cum fugeret Eb'iathar filius Achimelech ad Dauid in Cehilam. Hinc habes quod supra diximus: videlicet cladem sacerdotum fuisse post reditum Dauid ex Moab, nam hic scribitur Ab'iathar fugisse ad Dauid in Cehilam. Ephod se cum habens descendit. Parui refert quod hebraice habetur. *Ephod descendit in manu sua.* ad significandum quod non vestitus Ephod venerat, sed portans secum illum. Nunciatum autem fuit Sauli quod venisset Dauid in Cehilam: & ait Saul, conclusit cum deus in manu mea, quia clausus est veniēdo in ciuitatem vtriarum & vestis. Dictio interpretata deus est nomen Elohim, tanquam ex diuino iudicio traditum in manu sua Dauidem existimabat. Et præcepit Saul omni populo vt ad pugnam descenderet in Cehilam. Iuxta hebræum habetur. *Et congregauit Saul omnem populum ad bellum.* Et hic fiat punctus: quoniam hoc dur-

S iij taxat

parat innotuit populo videlicet quod congregabant ad bellum. Quo autem in hebraica litera subiungitur. *Ad descendendum in Cehilā ad illaquandum Dauidem & viros eius.* Ad intentionem refertur Saulis: quæ tamen intentio non erat penitus occulta, sed dicebatur ut moris est. *Rescivitque Dauid quod super eum Saul cogitans malū.* Hinc habetur quod Saul non promulgauerat intentionem suam, sed tacite cogitabat malū Dauidi inferre congregato exercitu. *& dixit ad Eb' iathar sacerdotem.* Iam presente sacerdote non consulit Dauid Deū nisi per sacerdotem. *Applica Ephod.* proculdubio tibi induendo illud: ut in habitu sacro sacerdos consuleret Deum.

Et ait Dauid. proponendo supplicationem suam super qua considerabat instrui intercedente sacerdote à Deo. *Domine Deus Israel audiuit famam seruus tuus.* Iuxta hebræum habetur. *audiendo audiuit seruus tuus quod quæres Saul venire in Cehilā ad euerterendū ciuitatē propter me.* An tradēt me primates Cehila in manum eius an descendet Saul sicut audiuit seruus tuus? *Domine Israel indica quæso seruo tuo.* Quia ex auditu mouebatur, proponit ut dubias interrogaciones. *dixitque Dominus, descendet.* Tā hanc diuinā responsonem quā subiunctam alterā tradent, intellige affirmatiue secundum secundarum causarum dispositionem relatum ad perseverantiā Dauidis in Cehila, directe siquidem respondet Deus quærenti Dauidi. Dubitabat enim an perseverante se in Cehila descenderet Saul aduersus ciuitatem & similiter an perseverantē se in ciuitate traderent primates Cehila in manus Saulis: Deus autē directe respondit asseruite ad ytranque quæstionē. Et dixit verum: quia dispositio causarum secundarū (videlicet Saulis & primatum Cehila) erat ad illos effectus efficiēdos. Quocirca nulla restat difficultas circa verificationē responsonū diuinarū eo quod neuter effectus subsecutus est: quia tā interrogatio quā responso loquitur Dauide perseverante in Cehila, & propterea cessante perseverantiā Dauidis in Cehila nulla remanet quæstio. *Dixitque Dauid, an tradent primates Cehila me & viros meos in manum Saulis? & dixit Dominus, tradent.*

Surrexit ergo Dauid & viri eius (circiter sexcenti viri) & egressi sunt e Cehila & huc atque illuc vagabantur incerti: Saulque fuit nunciatum quod euasisset Dauid e Cehila & cessauit exire. Mansit autem Dauid in deserto in locis firmis & mansit in monte in deserto Ziph in monte opaco. In Hebræo non habetur in monte opaco.

opaco. quæsiuitque eum Saul omnibus diebus. per se vel alios, sollicitudine, vel opere. & non tradidit eum deus in manū eius. Et vidit Dauid quod egressus esset Saul ut quæreret animam eius: & Dauid erat in deserto Ziph in sylua.

Surrexit autē Iehonathan filius Saul, & iuit ad Dauid in syluam: & confortauit manum eius in Deo. Nomen est Elohim gubernantis omnia. *Dixitque ad eum: ne timeas quia non inueniet te manus Saul patris mei, & tu regnabis super Israel & ego ero tibi secundus, & etiam Saul pater meus scit hoc, percusseruntque ambo fœdus.* Iam secundo percusserunt simul fœdus pro se & suis successoribus: videlicet prius in agro & modò in sylua. fœdus autem inter eosdem à principio initū statim ut Dauid percussit Goliath, fuit fœdus duntaxat amicitia: personalis. *corā domino.* hoc est in veritate teste Deo. *mansitque Dauid in sylua, Iehonathan autem abiit in domum suam.*

Ascenderunt autem Ziphei ad Saul in gibbam dicendo. *Ziphæi est nomen gentis quæ erat pars tribus Iudæ, nonne Dauid latitat apud nos in locis turtioribus in sylua in colle chachila ad dexteram deserti.* Iuxta Hebræum habetur. *quæ à dextris Iesimon?* Nomen est propriū loci. *Nunc ergo sicut desiderauit anima tua ut descenderes, descende.* Iuxta Hebræum habetur. *Et nunc ad omne desiderium anima tua rex, ad descendendum descende.* hoc est quandocumque tibi placuerit descendere, descende. *Et nostrū erit tradere eū in manum regis.* *Dixitque Saul: benedicti vos domino, quia doluistis vicē meam.* *Ite quæso & præparate adhuc & scitote & considerate.* Iuxta Hebræum habetur. *& videte locū eius ubi erit pes eius.* Tria in his verbis mandata: videlicet præparare homines auxiliares aduersus Dauidem, & scire per certitudinem ubi sit Dauid, & demum videre locum ipsum. *velociter.* Superfluit. *vel quis viderit eum ubi dixisset.* Iuxta Hebræum habetur. *quis vidit eum ibi.* *Dixerat videte non omnes, sed aliquis videat.* & propterea mandat quarto ut notificent sibi personam viri qui vidit Dauidem ibi: ut ex qualitate personæ discernat an verum diceret. *recogitat enim de me quòd callide insidiet ei.* Iuxta Hebræum habetur. *quia dixit mibi ingeniādo ingeniabitur ipse.* Et est sensus, quia Dauid dixit in animo suo spectando ad me, ingeniando ingeniabitur ipse Saul ad capiendū me: hoc est vtatur ad me capiendū vniuersa ingenij facultate & propterea.

Scitote & videte omnia latibula eius in quibus absconditur & reuertimini ad me cum re certa, & ibo vobiscum: quod si etiam in terra se obstruxerit. Iuxta Hebræum habetur. & eris si ipse in terra, & queram eum in omnibus millibus Iehude. interpretis enim exaggeravit. Surrexeruntque & abierunt in Ziph ante Saul: Dauid vero & viri eius erant in deserto Mahon in campestribus ad dexteram Iesimon.

Iuit ergo Saul & socij eius. Legendū est. & viri eius ad querendum. Insinuatur hinc q̄ Ziphæi redierant ad Saulē nunciando locum certum in quo erat Dauid. & nunciatū est Dauidi, statimque descendit ad petram. Interpretis addidit statim. & mansit in deserto Mahon, eunte siquidē Saule ad locum vbi erat Dauid, recessit prudēter inde Dauid & venit in desertum Mahon. audiuitque Saul, & persecutus est Dauidem in deserto Mahon. Et ibat Saul & viri eius ex latere montis hinc, & Dauid ac viri eius ex latere montis inde: porro Dauid desperabat se posse euadere à facie Saul. Iuxta Hebræum habetur. & fuit Dauid festinans ad eundem à facie Saul. Non desperatio, sed festinatio ad recedendum vt euaderet, describitur. itaq; Saul. Iuxta hebræū habetur. & Saul & viri eius circumdederunt Dauidem & viros eius vt caperent eos. Impedimentum appositum festinantibus ad euadendum describitur circundatio Dauidis & suorum à Saule & suis. Sapienter enim cinxit montem viris suis in modum coronæ ad captiendum Dauidem & viros eius, postquam perpendit quod Dauid cum viris suis erat in opposita parte eiusdem montis. Multitudine enim virorum vsus cinxit montem.

Et nuncius venit ad Saulem dicens: festina & veni, quoniam extenderūt se Pelisthim super terram. Deficiente humano præsidio, diuina prouidentia subuenit Dauidi diuertendo Saulem ad Pelisthinos. Reuersusq; est Saul à persequendo Dauidē, & perrexit in occursum pelisthinorum. Boni regis officio functus est, præponens bonū publicum priuato. propter hoc vacauerunt locum illum petræ diuidentem. Parui refert quod Hebraice habetur. petram diuisionum. videlicet Saulis & suorum à Dauide & suis. Et hinc apparet quod vnus atque idem significatus est locus quum dictū est quod descendit Dauid ad petrā & sedit in deserto Mahon. Illa enim petra appellata est petra diuisionū: & erat rupes, pars non modica montis illius deserti Mahon.

Caput

CAPVT XXIII.

Scenditq; Dauid inde, & mansit in tutioribus locis Henghedi. Cūque reuersus esset Saul postquam persecutus est Pelistheos. Iuxta Hebræū habetur. Et fuit quando reuersus est Saul à Pelisthim. Nihil dicitur de persecutione, nunciauerūt ei dicendo. ecce Dauid est in deserto Henghedi. Tullit ergo Saul tria millia virorum electorum ex toto Israel: & iuit ad querendum Dauidem & viros eius etiam super abruptissimas petras quæ solis ibicibus peruia sunt. Circūlocutio est: nam Hebraice breuissime scribitur. super facies petrarum Iehelim. Et aiūt Iehelim significare arietes seu capreas syluestres: quas antiquus interpret vocat ibices, eo quod ibix species sit capreatum syluestrium. Et venit ad caulas ouium iuxta viam, & ibi erat spelunca, & ingressus est Saul ad purgandum ventrem: porro Dauid & viri eius in lateribus spelunca manebant.

Dixeruntque viri Dauid ad eum. ecce dies de qua dixit Dominus ad te, ecce ego do inimicum tuum in manum tuam & facies ei sicut placebit in oculis tuis. Hinc quoque clarissime habetur multa in sacra scriptura commemorando referri, quæ tamē nunquā scripta fuerant. Hæc enim reuelatio hætenus scripta non fuit: nec scitur quando fuerit facta, nec sciretur, nisi nunc commemorata fuisset. & surrexit Dauid, & præcidit oram chlamydis Saul silenter. Admiranda dexteritas atque agilitas Dauidis, vt Saul non sentiret pallium quo indutus erat præcidi, nullumq; motum Dauidis perciperet. Post hæc percussit cor suum Dauid. Iuxta Hebræū habetur. Et fuit post sic, & percussit cor Dauidis eū, eo quod abscondit oram quæ erat Saulis. Remorsus quidam conscientie describitur in Dauide, eo quod incidisset oram palij Saulis. Bonarum siquidem mentium est etiam ibi culpam timere, vbi culpa minime reperitur. Ratio remorsus fuit, quia præcisio illa pallij ex proprio genere iniuriosa erat personæ regis. Absque culpa tamen fuit: tum quia diuina autoritate collatum ei erat, vt faceret Sauli quod bonum videbatur in oculis ipsius Dauidis, tum quia recta ratio dictabat vt Dauid signum beneuolentiae suæ erga Saulem posset monstrare euidentissimo testimonio cōuincente Saulem, vt vel sic desisteret Saul à tam iniqua persecutione: non potuit autem melius testimoniū offerre quam oram chlamydis præcisam tunc ibidem. Actio ergo materialiter iniuriola non est patrata sub forma iniuriæ, sed

sed necessarij signi ad testificandum veritatem recti animi Davidis erga Saulem: quemadmodum sæpe verba tam detractionis quam contumeliæ materialiter tantum, licite dicuntur ob aliquem bonum & necessarium finem à viris iustis. Dixitq; ad viros suos: *propitius sit mihi Dominus. Iuxta Hebræum imprecatio mali significatur. abesse mihi à Iehouah.* Subintelligitur verbum substantiuum. est enim sensus, abesse à Iehouah sit mihi: quod esset malum maximum. *ne faciam.* Legendum est, *si faciam hoc Domino meo Christo domini, mittendo manum meam in eum.* sic enim habetur Hebraice. *quia Christus Domini est.* Duas rationes tetigerat: alteram domino meo, alteram Christo domini, quia tamen præcipua ratio erat, quia Saul erat vnctus à summo Deo, ipsam solâ repetit. *Vinit dominus quod nisi dominus percussisset eum, aut dies eius venerit & moriatur, aut descendens in prælium perierit, propitius sit mihi dominus vt non mittam manum meam in Christum domini.* Tota ista clausula superflua est: quia in Hebræo nõ habetur, sed immediate subiugitur. Et cõfregit David viros suos verbis, & non permisit eis vt consurgerent in Saulem. Nõ solum abstinuit à percussione Saulis, sed etiam continuit suos volentes occidere Saulem: vt omni ex parte benignitas Davidis innotesceret. & Saul surrexit de spelunca, & iuit viam suam.

Surrexit autem David post hæc, & egressus est de spelunca, & clamauit post Saulem dicendo domine mi rex: respexitq; Saul post se, & incuruauit David faciem in terram & adorauit eum. Dixitque David ad Saulem: cur audis verba hominum dicentiu, ecce David quarit malum tuum? Ecce hodie viderunt oculi tui quod tradiderit te dominus in manum meam in spelunca, & cogitavi de te occidendo, sed peperci tibi: & dixi, non mittam manum meam in dominum meum, quia Christus Domini est. Et pater mi vide etiam vide oram chlamydis tuæ in manu mea: quia cum abscinderẽ oram chlamydis tuæ nõ occidi te, scito & vide quod non est in manu mea malum neque iniquitas. Iuxta Hebræum habetur. *neque rebellio neque peccavi tibi.* Excludit ab opere suo retrogrado ordine omne peccatũ: nam postremo peccatum in Saulem, & prius rebellionem in regem, & primum vniuersaliter malum excludit. Tu autẽ insidiaris animæ meæ vt auferas eam. Iudicet dominus inter me & te, & vliscetur me dominus de te: manus autẽ mea non sit in te. Verba hæc omnia non sunt optatis, sed prædicatis & expectantis, sunt enim temporis futuri, modi indicatiui

dicatiui in textu Hebraico: iudicabit, vliscetur, non erit. Sicut dicit proverbium antiquum, ab impijs egredietur impietas. Proverbium hoc directè seruit, tum ad manifestandum pietatem Davidis abstinentem ab omni specie impietatis: tum ad manifestandum impietatem supradictorum hominũ dicentium Sauli malum de Dauide: tum ad confutandum ipsum Saulem impie persequentem. & manus mea non erit in te. Post quem egressus est rex Israel, quem tu persequeris? post canem mortuum post pulicem vnum. Sit dominus in iudicem, & iudicet inter me & te: & iudicet causam meam, & eruat me de manu tua. Iterum verba hæc corrige: quia in futuro indicatiui scribuntur: erit, iudicabit & c.

Cum autem complisset David loqui sermones hos ad Saulem, dixit Saul nõne vox tua hæc fili mi David? & leuauit Saul vocem suam & fleuit. Dixitq; ad David, iustior tu es quàm ego. Deuultet dicere iustus tu es non ego: vt subiũcta ipsius Saulis verba testantur, dum manifestat opus bonum Davidis & opus malũ ipsius Saulis. tu enim retribuisti mihi bonum, ego autem retribui tibi malum. Et tu indicasti hodie quod fecisti mecum bonũ: quod conclusit me dominus in manu tua & non occidisti me. Et si inuenerit quisquam inimicum suum, dimittet eum in viam bonam? sed dominus reddat tibi vicissitudinem hanc. Iuxta Hebræum habetur, reddet tibi bonum pro eo quod hodie operatus es in me, prædicat enim quod Deus non relinquet sine præmio tantum virtutis opus. Et nunc quia scio quod certissime regnaturus sis, & habiturus in manu tua regnum Israel. Iuxta Hebræum habetur. Et nunc ecce noui quod regnando regnabis: & firmabitur in manu tua regnum Israel. Ecce præmiũ quod præuidebat Saul dandum à Deo Dauidi. Et nunc iura mihi per dominum quod non abscindes semen meum post me, & non auferes nomen meum de domo patris mei.

Et iurauit David Sauli? Libra hoc iuramentum, annotando materiam eius non se extendere, nisi ad duo: videlicet ad non delendum semen Saulis & ad non tollendum nomen Saulis è domo patris sui. Est autem inter hæc duo differentia: quia primum significat deletionem tam masculorum quam fœminarum ex Saule, secundum autem deletionem nominis siue ex naturali siue ex legali successione. abique Saul in domum suam, & David ac viri eius ascenderunt ad tutiora loca.

Mortuusque est Semuel. Si Iosepho creditur, decimo octauo anno regni Saulis mortuus est Samuel. & congregatus est totus Israel & planxerunt eum nimis. Superfluit nimis. & sepelierunt eum in rama in domo sua. hoc est in sepulchro patris & fratrum suorum: domus enim pro familia ponitur. surrexitq; Dauid & descendit in desertum Paran.

Erat autem vir in solitudine Mahon. Superfluit solitudine. significatur enim q; vir iste habitabat in Mahon, quod est ciuitatis nomen. & possessio eius in Charmel. Quâuis Nabal habitaret in Mahon, oues tamen eius erant in Charmelo. & erat vir magnus valde, & erât ei tria millia ouium & mille capra: fuitq; dum tonderet oues suas in Charmel. Et nomen viri erat Nabal, nomē vero vxoris eius Abigail: erâtque illa mulier prudentissima & speciosa. Iuxta Hebræum habetur, bona intellectu & pulchra aspectu. laudatur enim & quo ad prudentiam in anima, & quo ad pulchritudinem in corpore. porro vir eius durus & pessimus & maliciosus. Iuxta Hebræum habetur. & vir durus & malus operibus. Nec plures describuntur malæ conditiones illius, sed secundum animum describitur durus, non cedens rationi ac persuasioni: secundum vero opera describitur malus. & erat de genere Chaleb.

Auduit autem Dauid in deserto quod tóderet Nabal oues suas. Et misit Dauid decem pueros: dixitque Dauid pueris, ascendite in Charmel & ite ad Nabal, & salutate eum nomine meo pacifice. Et sic dicetis. Deficit hic vna dictio, quæ interpretatur vel viuus vel diues, & propterea legendum est. Et dicitur sic dicitur, magis enim quadrat proposito diues q; viuus. si fratribus meis & tibi pax, & domui tuæ & omnibus quæcunque habes sit pax. Iuxta Hebræum habetur. & tu pax, & domus tua pax, & omnia que tibi pax. Modus est loquendi vsitatus tunc tēporis & nomine pacis vt alias dictum est, cōprehendunt omne bonum. Ex multis annis saluos faciens tuos & omnia tua. Superflua est hæc clausula: nam in Hebræo immediate subiungitur. Et nunc audiui quod tonfores tibi, nunc pastores qui tibi fuerunt nobiscum, non ignominia affecimus eos, nec defuit eis quicquam omnibus diebus quibus fuerunt in Charmel. Interroga pueros tuos & annūcia bonum tibi, inueniant ergo pueri gratiam in oculis tuis, quia in die bona venimus: da quæso quod inuenerit manus tua seruis tuis & filio tuo

tuo Dauid. Venerintque pueri Dauid, & locuti sunt ad Nabal iuxta omnia verba hæc nomine Dauid, & quicuerunt.

Respondit autem Nabal seruis Dauid & dixit: qui Dauid & quis filius Iisai? hodie multiplicati sunt seruis qui diuidunt se à facie dominorum suorum. Tollam ergo panem meum & aquam meam & carnes pecorum quæ occidit foribus meis, & dabo viris quos nō noni vnde sint. Relatiue ad ipsum Nabal intellege inscitiam vnde sint, vt pote impertinentes. Regressique sunt pueri Dauid ad viam suam: & reuersi sunt & venerunt, & annūciauerunt ei iuxta omnia verba hæc. Et dixit Dauid pueris suis, accingite vnusquisque gladiū suum, & accinxit vnusquisque gladium suum, & accinxit etiam Dauid gladium suum: ascenderuntque post Dauidem circiter quadringenti viri, & ducenti manserunt ad vasa.

Abigail autem vxori Nabal nunciauit puer vnus de pueris dicens: ecce misit Dauid nuncios in deserto ad benedicendum dominum nostrum, & auersatus est eis. Iuxta Hebræum habetur. & scitis volare eos. hoc est expulit eos leues & celeres tãquam aues expulsas. Et homines boni scitis. Legēdū est, boni nobis valde. nã sic habetur Hebraice. & nō fuimus ignominia affecti, nec defuit nobis quicquam omnibus diebus quibus ambulauimus cum eis cum essemus in agro. Murus fuerunt nobis tum nocte, tum die omnibus diebus quibus cum eis pauius oues. Et nunc scito & vide quid facias, quia completa est malitia aduersus virum tuum & aduersus domum tuam. Iuxta Hebræum habetur. quia completum est malum ad dominum nostrum & super omnem domum eius. Prudens seruis prædicit quod ad finem peruenit malum imminens eorum domino. & ipse est filius Beli iahal à loquendo ad eum. Hebræo more appellatur filius Belial (hoc est licentiæ absque iugo) qui quasi congenitam habet libertatem à iugo legis. Verum non absolute appellatur Nabal absque iugo, sed quo ad hoc quod nō potest quis ei loqui: hoc est renuit audire bonas suggestiones. Et quadrat descriptioni supra dictæ, quod erat durus.

Festinauitque Abigail, & tulit ducentos panes, & duos vtres vini, & quinque arietes coctos. Iuxta Hebræum habetur. & quinque oues factas. hoc est paratas. & quinque sata polentæ, & centum ligaturas vuarum sicarū, & ducentas massas carycarum: & posuit super asinos. Dixitq; pueris suis, transite ante me, ecce ego post vos venio: & viro suo Nabal non indicauit.